PRINCEPS S. R. I.
IVS SVVM VI ATQVE ARMIS TVENS.

PRAESIDE

GE. LVDOVICO BOEHMERO

MAGNAE BRITANNIAE REGIS A CONSILIIS ANTECESSORE
IVRIS ET ORDINIS SVI H. T. DECANO

A. D. XXVII. MART. MDCCXXXXV.

DISPVTATA DISSERTATIO

IVLII MELCHIORIS STRVBII

EDITIO SECVNDA.

GOTTINGAE MDCCLI.

NAPOLI

Digitized by Google

PRINCEPS S. R. I.
IVS SVVM VI ET ARMIS TVENS.

I.

Inſtituti ratio.

Quando liceat principi imperii ius ſuum vi atque armis defendere, academica diſſertatione expoſiturus, nobile adgredior et elegans et noſtris temporibus conueniens argumentum. Neque enim fore putauerim, qui in ea explicanda quaeſtione inutilem operam poni exiſtimet, quae agitari ſolet, quoties de indicendo bello cogitatur, de ſumendis armis, de vindicandis vi iuribus in imperio (quod frequentius fieri, triſtis experientia docet); a qua denique vita ac ſalus multorum ſaepenumero hominum pendet. Videtur enim in eo inſignis Germaniae felicitas ponenda, quod illi maiorum prouidentia ea forma data eſt, vt pacate diſſidia omnia ſine vi, ſine bello, ſine ciuium ſanguine inter potentiſſimos principes componi poſſint, ſi

illi ipſi modo, quorum potentiae omnia licent, ſacra legum auctoritate auſis ſuis fines poſitos agnoſcere velint. Tale quid HENRICVM IV. Gallorum regem cogitaſſe, Sullyanorum commentariorum [a]) fide relatum eſt, cum toti Europae vnius reipublicae formam induere vellet, et ex regnorum rectoribus commune aliquod iudicium colligere, decidendarum inter gentes controuerſiarum cauſſa ſtatuendum, [b]) quod ſalubre magis conſilium quam prudens fuiſſe, nemo negauerit. Quo autem difficilius et vtilius eius generis propoſitum eſt, eo magis cauendum videtur, ne illius fructum in Germania amittamus. [c]) Itaque haec ad obtinendam pacem tranquillitatemque in vnum corpus facta principum noſtrorum conſociatio, vim ſingulorum excludens, palladii inſtar ſeruanda eſt, atque quo quisque melior ciuis et vir bonus

[a]) *Memoires de* SULLY *Tom. III. p. 413. ſequ.* PEREFIXE *Hiſtoire de Henri le grand p. 463. ſq.*

[b]) De quo nuper admodum VOLTAIRIVS dubitauit: *Il eſt vrai pourtant, inquit, qu' Henri IV. n'a jamais ſongé à un tel projet: les Commis du Duc de Sully qui ont fait ſes memoires en ont parlé, mais le Secretaire d' Etat Villeroi Miniſtre des affaires étrangeres n'en parle point. Il eſt plaiſant, qu'on ait attribué à Henri IV. le projet, de deranger tant des trones dans le tems, qu'il venoit à peine s'affermir ſur le ſien. Oeuvres To. VI. p. 307. 390.*

[c]) Grauis obſeruatio eſt, *adnotatoris ad* SCHVTZIVM *de ſtatu rei romanae p. 160. Vol. II. Imperio maxime nocuit, armis et vi diſceptare in cauſſis ſtatuum: inde enim bella ciuilia oriuntur, quibus non Germania tantum ſolum ſed facile reliquae partes Europae inuoluuntur. Talis enim eſt nexus, aemulatlio, ſtudiaque ambigua Germaniam inter et reliquas Europae partes, vt illa nunquam turbata fuerit, ſine harum motu et ſuſpenſione ſpei metusque.*

bonus eſt, eo ardentiori ſtudio aſſerenda. [d]) Nam ſi ad id vnquam res noſtrae perueniant, vt ſublata iudiciali auctoritate, effrenata bellorum poteſtas in imperio obtineat, non longe ab interitu ſuo abeſſe Germania videtur. Quae res non in imbecilliorum ſolum ordinum detrimentum vertet, ſed potentiorum etiam curas excitare debet. Vbi enim internis diſſidiis agitantur, quibus contra exteros hoſtes pugnandum eſt, amiſſa eſt libertas noſtra, quum pauci ſint ex principibus, qui ſoli eorum viribus reſiſtere poſſint, aut qui, quum ſinguli pugnant, non vincantur. Deinde hi, quorum minor nunc eſt potentia, metuendi ſunt, vbi ipſa neceſſitate ad arctiora inter ſe ineunda foedera coacti fuerint. Vidit huius generis conſociationes maximis ſaepe principibus pernicioſas, manuarii iuris aeuum, diligenter a IO. PHILIPPO DATTIO deſcriptas, quum *pacis publicae* hiſtoriam doctiſſimo opere exponeret. Itaque male omnino rebus noſtris conſulere videntur, qui ita facultatem principum ſe atque ſua vi et armis tuendi, augent, vt in infinitam bellandi licentiam abeat, vti et illi contra in ordinum imperii ſacram dignitatem iniurii videntur, qui libertatem, quae iis legibus, pactis, moribus et ex forma imperii negari non poteſt, quibusdam in caſibus non

 implo-

[d]) Conferri poteſt cordata CHRIST. FORSTNERI immortalis viri *ad D. Auguſtum Ducem Brunſuicenſem epiſtola* edita a C. GOTTFR. HOFFMANNO in libro cui titulus: *ſeries rerum in Germania a transactione Paſſauienſi geſtarum To. II.*

implorato iudice ſibi ius dicendi, impugnare et deſtruere audent. Vtrorumque rationes colligere, et quantum per iuuenilis aetatis inexperientiam licet, componere, hoc libello propoſitum eſt.

II.

Ius quisque ſuum in ſtatu naturali vi perſequitur. Eius rei incommoda, ortae inde ciuitates.

Duplex igitur, vt ab hoc ordiar, defendendi iuris controuerſi et recuperandi modus eſt, vis primum et arma; deinde iudicialis auctoritatis imploratio. In naturali autem ſtatu ſi homines ponimus, primus modus tantum obtinet, [e]) cum omnes a natura aequales ſint, neque in parem imperium aut iudicium poſſit intelligi. Licebat itaque, antequam magiſtratus eſſent, ſiue intentatam vim vi ac armis amoliri, ſiue raptas res ab hoſte repetere, quas ille vel redderet vel belli fortunam experiretur; [f]) quo factum eſt, vt infinitis prope periculis obnoxia eſſet mortalium vita. Nam quum quisque, vbi ſua res agitur, deponere facillime illum aequi et iuſti ſenſum ſoleat, et, prout allubuit, ita fas idem eſſe putet; fuit illa perſequendi iuris via fere ſemper pernicioſa imbecillioribus. Itaque hi, quum maiorem partem conſtituerent, coiere in ciuitates, vt et contra potentiores

[e]) Si eius rei probationem demonſtratiua methodo ſuſceptam deſideras, adi diſſertationem praeſide Illuſtri BVDERO defenſam, *de violenta defenſione priuata in ſtatu ciuili. Sect. I.*

[f]) H. GROTIVS *de Iure belli et pacis L. I. c. 2.*

tiores iunctis viribus ſeſe tuerentur, et iniurias horum, ſi quae ſiue ex errore noxio, ſiue cupiditate alienarum rerum naſcerentur, amouerent. Ab eo fonte extiterunt reſpublicae, cum enim natura tantum periculum homo ab homine timeat, quantum fructum ex officiis mutuis ſperet, non immerito dubites, an fidem et amicitiam inter ſe mortales iuncturi fuiſſent, niſi otii tuti, tranquillitatisque firmandae neceſſitas diſperſos congregaſſet. [g]) Hoc ita agnouit, vt erat acutus, SAMVEL PVFENDORFIVS, [h]) vt, quum omnis naturalis iuris principium poſuiſſet ſocialitatem, exoriundarum tamen cauſam rerum publicarum, ſecuritatis ſtudium, atque adeo metum hoſtilis potentiae cenſeret. Iam conditis ciuitatibus ſuprema poteſtas demandabatur illis, qui viderentur incolumitatem ciuibus praeſtare optime poſſe, lites inteſtinas componere, poſtremo in debellandis externis hoſtibus imperatoris munere fungi. Nam vtrumque transferri in commune caput, ipſa ciuitatis notio poſtulabat, alterum, ne qui arcere alienam iniuriam vellent, ipſi inter ſe committerentur, alterum, quia bellum ſine duce geri nullum poteſt. [i])

III.

g) v. c. L. CRELLII V. C. *Ius militis auxiliaris apud gentes et in imperio* §. 1. 10. BARBEYRACII *obſeruationem ad Pufendorffium du Droit de la nature et des Gens. p. 270. Tom. II. ed. 1734.*

h) *De Droit de la Nature et des Gens. L. VII. chap. I. p. 262. Tom. II. et L. VII. c. II.* §. 1.

i) v. PVFFENDORFF *cit. loc. L. 7. c. 4.* §. *2. 3. 4. 5.* 10. LOCKII elegantiſſimum libellum *du Gouvernem. civil. P. II. c. XII.*

III.

In ciuitate vim nunquam adhibere licet, niſi cum magiſtratus auxilium haberi non poteſt. De inferioribus magiſtratibus et vſu iuris romani in hac doctrina.

Ex his igitur conſtat, in omni republica ciues quandam libertatis partem amiſiſſe, [k]) tantumque principali poteſtati adſtrui, quantum de ciuili auferatur. Quid ſit autem potiſſimum in caput reipublicae translatum, iudicari ex propoſito ſocietatis debet. Quare quum in ea ciuitate, quam fingimus, quae habet inſtar et imaginem aliarum omnium, tutela ciuium, quae ius belli requirit, omnisque priuatae litis arbitrium, quod in iudiciaria poteſtate ineſt, capiti ſit reipublicae delatum, ſequitur, vt illius quaſi membra ciuitatis facultate ius ſuum propria vi perſequendi abdicauerint; quam retinere ſi vtile ſibi putaſſent, coire in vnum corpus ac magiſtratus conſtituere nihil attinebat. Ponenda igitur regula eſt, nulli licere membro ciuitatis ſibi ius dicere. Ea autem limitationes patitur, quas indicare vna regula, prohibet varia rerumpublicarum forma. Generatim tamen rei natura docet, vi omnem iniuriam recte repelli, contra quam magiſtratus auctoritas haberi non poteſt, cum appareat, ſubditos ſe ſuaque tuendi liberam facultatem tum demum abdicaſſe, cum iuris ſui ac ſalutis tutelam ſumma poteſtas ſuſcipere poteſt. Atque ea ratio et via ſeruari

[k]) Quod agnouit etiam ALGERNON SIDNEY ſtrenuus libertatis defenſor *ſur le Gouvernement p. 60. Tom. I.*

uari poteſt in vniuerſum, vbicunque metus imminentis damni irreparabilis non inanis obuerſatur. In ceteris videndum, quid cuiuscunque gentis moribus et vſu receptum, aut publicis legibus cautum ſit. Ex his etiam eam litem putauerim decidendam, quae inter HVGONEM GROTIVM [l]) et CASPARVM ZIEGLERVM [m]) interceſſit de inferiori magiſtratu, an nempe ad tuendam plebem et iurisdictionem exercendam ius belli habeat? Equidem omni magiſtratui ſalutis ciuium cura ita impoſita eſt, vt vrgente periculo, ex praeſumta principis voluntate defendere armis etiam, ſi poteſt, ciues debeat; aſt non abſoluitur tuitione belli gerendi ius, ſed ſimul damni dati reparatio et ſufficiens cautio merito ab hoſte exigitur. Num ea opus ſit, illiusque modus, a ſuprema poteſtate, non ab inferiori magiſtratu eſt determinandum. Romanis legibus quid ſit cuiusque poteſtati relictum, ab aliis diligenter declaratum eſt. At de illo videndum, Germanorum moribus an liceat vi agere principibus, vbicunque id eſt romanis legibus permiſſum? Quod ſatis recte adfirmat S. STRYKIVS, [n]) in quantum id neque noſtris moribus repugnat nec legibus imperii derogat, praeſertim cum obſeruatum ſit, peregrini iuris inductionem, non vltimam reſtitutae pacis puclicae cauſſam fuiſſe.

IV.

l) *De I. B. et P. L. I. c. 3. §. 4.*

m) *De Iuribus Maieſtat. L. I. c. 33. §. 28.*

n) *De via facti inter principes p. 346. Diſſert. Hallens. T. I.*

IV.

Conſtitutiones Germaniae de vi prohibita.

Quae itaque ex cuiuscunque ciuitatis forma translata in caput eſſe ſolent, in Germania apud membra etiamnum ſupereſſe, vix erat veriſimile. Sed ea aliquando fuiſſe Germaniae tempora, hiſtoriarum fide monſtrari poteſt, quibus vi magis et armis litigia quam legum auctoritate et ſententiis iudicum diſceptata ac finita ſunt. Nam Germanos in *viribus ius habere*, de ſuis temporibus POMPONIVS MELA [o]) teſtis eſt, quam conſuetudinem neque ſub Francis ceſſaſſe, colligitur tam ex prohibitionibus in *capitularibus* Francorum Regum frequentibus [p]), quam ex quaerelis, quas eo nomine ad Carolum Regem a. DCCCXLVI. tulit HINCMARVS RHEMENSIS. [q]) Aucta eſt ea licentia inter perpetua Imperii et ſacerdotii diſſidia, quibus Caeſarea dignitas proculcabatur, atque a curandis rebus germanicis detinebatur. [r]) Itaque hoc aeuo quo iudiciorum fere ſepulta erat auctoritas, ius quisque

o) *De Situ orbis III. 2.*

p) Vide *capitulare* LVDOVICI PII *ann. 819. de faidis coercendis* in P. GEORGISCH *Corp. Iur. German. p. 842.* et *Lib. IV. Capitul. c. 27. Ibid. p. 1376. et p. 1834.* Ne enim iniuriae priuatam vindictam ageret laeſus, neue patris ſeu propinqui inimicitias maiorum more ſuſciperet familia, ſatisfactionem ſeu *compoſitionem* introductam eſſe docent *Leges Longobardorum ibid. p. 951. vt faida, quod eſt inimicitia, poſt compoſitionem acceptam poſtponatur et amplius non requiratur.*

q) Literas HINCMARI ad regem ſcriptas exhibet LVCAS D'ACHERY *Spicileg. T. III. p. 338.*

r) Vid. IO. PH. DATTII clariſſimum opus *de pace publica c. III. p. 17.*

quisque priuata auctoritate perſequebatur, nec id tantum principibus viris, ſed priuatis [f]) etiam licebat. Exortae inde diffidationes, de quibus reſtringendis circumſcribendisque potius, quam extinguendis, ante Maximilianum ab imperatoribus cogitatum eſt. [t]) Praeclara eius rei teſtimonia, [u]) praeter innumera alia, ſunt FRIDERICI II. et CAROLI IV. conſtitutiones, illa inter feudales leges, [v]) haec in *Aurea* imperii *Bulla*, [x]) cum dubitari non poſſit, illud negotium, cui eſt legibus certa forma data, ſi inter hanc contineatur, legitimum eſſe. Immo ſi fateri velimus quod res eſt, paces publicae, ab Imperatoribus ad Maximilianum I. vsque conditae, induciae potius fuere, quam leges perpetuae, [y]) quae ſanare

[f]) Perperam itaque Auctor *diſcurſus de ſuprematu p. 104.* notat LEIBNITIVM, defendentem, ante MAXIMILIANI I. tempora ius belli ordines pleniſſimum habuiſſe, in libro *de ſuprematu*, aſſumto CAESARINI FVRSTENERI nomine edito, *p. 65.* cf. parentis mei non ſine pietate a me laudandi DAV. GEORGII STRVBEN *Obſeruat. Iuris German. Obſeru. IV. §. 16. p. 188.*

[t]) V. DATTIVS *c. l. cap. 2. n. 12.* Singulari prorſus exemplo ALFONSVS FRIDERICO Lotharingiae duci, ſolenni inueſtitura a. 1258. inter alia per vexillum conceſſit ius praeſidendi duellis nobilium, inter Rhenum et Moſam habitantium, vi cuius locum aſſignare, et ne quid in diffidationibus contra receptum modum fieret, prouidere poterat. vide *tabulas inueſtiturae in* LEIBNITII *Codice Iuris Gent. diplomat. P. I. n. XIII. et* CALMETI *Cod. probat. ad hiſtoriam Lotharing. T. II. p. 459.*

[u]) Quae magno numero collegit Illuſtris IO. ADAM. KOPPIVS *von Aſſociation der Reichs-Krayſe P. 1. §. 1. 2.*

[v]) *V. Feud. 10.*

[x]) *Tit. XVII.*

[y]) Ceu eleganter obſeruant LVDOLPHVS HVGO *de ſtatu regionum Germaniae c. III. §. 8. p. 60. 61.*

I. G.

nare inueteratum morbum non quidem poſſent, ſed reſtringerent vindictae licentiam aliter atque aliter pro paciſcentium voluntate, quas reſtrictiones enarrare longum foret. [z]) Nonnunquam eam clauſulam adiectam eſſe inuenimus, vt vis obtineret, cum lis decidi per iudicem non poſſet, vt in FRIDERICI II. et III. conſtitutionibus: [a]) quae res inducere te poſſet ad credendum, diffidationes remedium extraordinarium et ſubſidiarum fuiſſe, niſi cognitum eſſet, illud plerumque liberum fuiſſe, qui prius laeſerat, velitne via iuris, an armis experiri. Efficaciora autem huic malo remedia data ſunt, poſteaquam res Caeſarum certiori loco eſſe coeperunt. Quae res tum peregrinorum inductione iurium, quibus omnis vis priuata odioſa eſt, mirifice adiuta eſt; tum illius praecipua gloria ad MAXIMILIANVM I. AVG. pertinet, principem in tantum laudandum, in quantum iuſtitiae et pacis ſtudium, quod in illo fuit, laudari debet ſummum. Quare non inutile fore putamus, ſi monſtremus, quas res melius hic, quam anteceſſores ſui, conſtituerit; ex quo eluceſcat, cur magis illi, quam ceteris obtemperatum ſit, curque CHRISTIANVS THOMASIVS [b]) vir acutus, exiſtimauerit, in eiusmodi

I. G. HEINECCIVS *Elem. Iur. German. L. I. T. XXV. p. 234. 235. ſq.* et HAVSCHILDII *Gerichts-Verfaſſung der Teutſchen p. 90-130.*

[z]) Legi praeter DATTIVM poſſunt IO. I. F. BOEHMERI V. C. doctiſſima *Iuris criminalis Elementa Sect. II. c. VIII. §. 110. p. 341.*

[a]) Apud DATTIVM *loc. cit. p. 114. 115.*

[b]) Ad *Obſeruat. Hallens. Tom. VI. p. 380.*

modi diſquiſitione praecipue argumentum quod tractamus verſari. Ante Maximilianum itaque ad tempus durare ſolebat pax publica; quam hic ſtabiliuit, ea nullo tempore finienda eſt. Antea fines tantum faidis poſiti, ab hoc ipſae ſublatae, et quae quondam pax ſaepe ad aliquos tantum principes atque ordines, ea nunc ad vniuerſos pertinet, ſeuerioribusque poenis munita eſt. Denique cum pacis publicae ante Maximilianum magna vis atque auctoritas eſſe non poſſet, quod vel iudicia deeſſent, vel qui ſententias dictas exſecutioni darent, Maximilianus fortiſſimum huic rei remedium adhibuit tum inſtituto iudicio Camerali, tum diuiſa in circulos Germania. Poſſemus hic multa commemorare a re propoſita non aliena, ſi et huc conuehere liberet, quae a duumuris clariſſimis IO. PH. DATTIO et IO. IOA. MVLLERO, altero in doctiſſimo de pace publica opere, altero in ampliſſima collectione rerum ſub Maximiliano I. in comitiis geſtarum, in eam rem diſputata ſunt egregie. Maximilianeam autem conſtitutionem renouauit, amplificauitque CAROLVS V. Imperator, cuius conſtitutiones [c]) habentur inter leges imperii fundamentales, quarum ideo obſeruationem, nouus quisque Imperator, iurata fide capitulatione ſua ſpondere et recipere ſolet. [d]) Deinde cum nouam veluti formam Germania pace Weſtphalica acciperet, qua diſerte ius foederum ordinibus concedebatur,

[c]) *Pax publica* CAROLI V. *de* 1548.

[d]) Vide *Capitulat.* CAROLI VII. *Art. II.* §. 3.

batur, cautum eſt: [e]) ne vlli omnino ſtatui Imperii liceret ius ſuum vi vel armis perſequi, ſed ſi qua controuerſia iam eſſet, vel poſt hac oritura ſit, vnusquisque iure experiretur; ſecus faciens reus ſit fractae pacis. Plura legum verba in re clariſſima addere nolo, cum ipſi Germaniae principes adgnouerint: *daſs repreſſalien regulariter verbothen, und kein ordentliches und gewöhnliches Mittel ſein Recht zu erlangen; noch in republica bene ordinata zu dulten ſey, daſs auf die geringſte wahre oder vermeintliche Beleidigung man ſo fort zum Schwerd oder andern Thaetlichkeiten* greiffe. [f])

V.

Quae leges contraria obſeruantia nec ſunt ſublatae nec tolli potuerunt.

Supereſt ad perficiendum noſtrum propoſitum, vt doctrinam noſtram ab eorum dubitationibus vindicemus, quibus dubia illa videtur, ſiue quod ita exiſtiment, ſeu quod ſeruire iis, quorum cupiditatibus his fines poſiti ſunt, velint. Primum inter illos CHRISTIANO THOMASIO locum damus, (IO. enim LIMNAEVS refutatus ab aliis [g]) eſt) qui duplici argumento vſus, [h]) altero a contraria,

[e]) Vide *Inſtrumentum Pacis Osnaburgenſe Art. XVII. §. 7.* adde *Art. V. §. 2. fin.*

[f]) Apud FABRVM *Staats-Canzley Tom. XXXVII. p. 580. §. VII.*

[g]) Praeſertim vero ab auctore diſſertationis *de Iure belli et Pacis ſtatibus imperii vi ſuperioritatis competente Obſeruat. Hallenſ. T. IV. obſ. VIII.*

[h]) Vide *adnotationes* ad *obſeruationem de Iure belli et foederum ſtatuum Imp. Germanic. in Obſeruat. Hallens. T. VI. obſ. XXX. p. 378. ſq.*

contraria, vt putabat, obſeruantia deſumto, altero ab iudiciorum legumque noſtrarum forma petito. Confutabimus virum, ſi oſtendamus, poſt conſtitutionem pacis publicae promulgatam, hunc morem neque fuiſſe neque eſſe, vt iure belli in iurium ſuorum perſecutione principes vtantur; tum ſi is vtique fuerit, nihil inde effici; denique Germaniae eum ſtatum eſſe, vt quae ſunt de non adhibenda vi conſtituta, obſeruari in ea et in praxin deduci poſſint. Putabat THOMASIVS [i]) ex hiſtoria omnium bellorum poſt pacis publicae conſtitutionem ortorum conſtare, fere vtramque partem non ſine veriſimilitudine videri voluiſſe bellum defenſionis cauſſa ſuſcepiſſe. Hoc ſi largimur, apparet, nihil vnquam principes ſibi niſi ſe ſuaque tuendi facultatem, quam illis et nos tribuimus, adſcripſiſſe, quae quibus ſit limitibus circumſcripta, quantumque a iure belli, de quo hic quaeritur, differat, deinde indicabimus. Falſo igitur huic ſententiae neſcio quae obſeruantia praetenditur, cui repugnat conſilium, quod prae ſe tulerunt quicunque vi agebant; repugnat item tum vſus ſummorum in imperio tribunalium, quibus frequens eſt de non adhibenda vi mandata, vt vocant, ſine clauſula vel poenalia decernere, tum exempla illorum principum, qui ob turbatam publicam pacem puniti, interdum etiam proſcripti ſunt. [k])

Sed

[i]) *citato loco p. 381. n. 8.*

[k]) Vide doctiſſimam LVDOVICI BERNHARDI L. B. ZECHII, *de proſcriptione ſtatuum S. R. I. diſſertationem* §. 17. 18. §. 8.

Sed his argumentis vix ac ne vix quidem opus eſt, et ſalua res eſt, etiamſi demus THOMASIO illam quam finxit obſeruantiam, demus illi, moribus tolli leges, modo illud teneamus, nouis legibus veterem conſuetudinem rumpi ac abrogari; ex quo fit, vt quoties pacis publicae conſtitutio in noua capitulatione renouatur, quod ſemper fieri diximus, toties obſeruantia, ſi qua ſit contraria, abolita habeatur.

VI.

An ea ſit in Germania iuſtitiae adminiſtratio diſquiritur, vt ius niſi per vim obtineri non poſſit.

Sed ne quod a THOMASIO monitum, nos intactum relinquamus, de iudiciorum noſtrorum forma videndum eſt. Nam iuſtitiam in ſupremis iudiciis obtineri ita difficile, vulgaris querela eſt, vt conſtituti tanquam in naturali ſtatu, quo licet ius ſuum vi perſequi, principes noſtri videantur. [1]) Vidit noſtra aetas, vix ferendis exemplis, cauſſas per vnum alterumue ſeculum et longius protractas, et ne nunc quidem fini ſuo vicinas. Diſtinguendum tamen videtur inter illas huius mali cauſſas, quae ex ipſa forma atque conſtitutione iudiciorum noſtrorum oriuntur, atque illas, quae ab externis impedimentis proueniunt. In his eſt exſecutionis difficultas, potentiorum aduerſatio, ipſa denique iudicum, ſi qua fortaſſe accideret, corrupta prauitas, et huius generis alia,

[1]) THOMASIVS *citato loco not. a) et d) p. 382.*

alia, quibus examinandis infra locum deſtinauimus. De prioribus autem breuiter quaedam hoc loco dici debent, vt appareat, hoc argumento eorum, qui vim adhibent, audaciam vix excuſari. Itaque primo tribunalium in Germania conditio haud ita deſperata eſt, vt ſuum cuique non tribuatur, et quotidie fit, vt finiantur lites intra breue tempus etiam grauiſſimae; et cum ſuis mandatis ſententiisque deeſſe iudicia aut raro aut nunquam ſoleant, [m]) tum ſicubi ab his a norma iuſti et aequi diſceſſum ſit, parata ſunt huic quoque malo remedia multa. Quod autem tarde et ſomniculoſe res geritur, quod ſaepe tergiuerſandi occaſio aduerſariis ſubminiſtratur; nonne id ipſum eſt ab earum legum obſeruatione, quae ab ordinibus conditae ſunt? Quare non video, quomodo, quod ipſi conſtituerunt ordines quodque poſſent mutare, ſi id conſultum putarent, impatienter ferre indeque anſam negligendarum legum deſumere poſſint. [n])

VII.

Bellum offenſiuum et defenſiuum quomodo diſtinguantur.

De legibus noſtris exiſtimabat C. THOMASIVS [o]) effectum illas ob ius defenſionis, quod principibus concedunt, habere haud poſſe; dicere enim, quodnam bellum defenſiuum ſit, quodnam offenſiuum, ita difficile eſſe, vt niſi vtrumque prohibeatur, relinquatur elabendi rima

[m]) BERGER *animaduerſ. ad efficientia metus c. II. §. 3. 39. Coccej. p. 338.*

[n]) Vid. GVNDLING *de*

[o]) *cit. loc. p. 381.*

rima ea, quae ipſam conſtitutionem inutilem reddat. Huc itaque redit tota diſceptatio, vt vtriusque belli recte fines regantur; quae res expendi tum ob dignitatem meretur, tum ob vſum, quem habet in noſtro argumento. De quo cum ſit duplex doctorum opinio; quidam defenſiuum bellum ita late finiunt, vt omne iuſtum bellum idem ſit defenſiuum, [p]) quidam reſtringunt ita, vt ſit, vim illatam repellere. [q]) Hic vero nihil opus eſt, quam vt videamus, quo quisque conſilio bellum gerat, qui ſi noxam amolitur imminentem, defenſor eſt; adgreſſor, vbi res raptas repetit. [r]) Poteſt fieri, vt quod prius defenſiuum bellum erat, poſtea offenſiuum ſit, et defendendi cauſſa is pugnare cogatur, qui ad reparandum damnum bellum ſuſceperat; quam igitur quisque initio belli cauſſam habuerit, id eſt cognoſcendum. Nam qui primum iniuſte prouocatus eſt, ſi ſecunda fortuna pugnat, poenas ſumere, ſumtus belli exigere, futuraeque ſecuritati pactis, conditionibus, viribus hoſtium infringendis, telo ad nocendum erepto, quouis denique modo proſpicere poteſt; quae omnia ſi vno actu aguntur, adhuc ad defenſiuum bellum pertinent. Haec vt ſatis plana ſunt, ita reſtant quaedam magis aliquando ſpinoſa, et vbi ad rem ventum eſt, expli-

p) GVNDLING. *Iur. Nat. et Gent. c. IX. §. 6. p. 93.*

q) BARBEYRAC *ad* PVFFENDORFII *de I. N. et G. L. 8. c. 6. 53. not. 3. p. 553.*

r) Vid. *Obſeruat. Hallenſem Tom. IV. obſ. 8. §. 6. ſq. p. 106. ſq.*

explicatu difficilia. Cum ſit enim prius quam te ferierit eludendus velut hoſtilis ictus, praeſtetque in propinquo bello praeuenire, quam praeueniri, relinqui boni viri arbitrio debet, vt iudicet, quando certo et ineuitabili in periculo verſetur. [r]) Quae res cum habeat inter liberas gentes ſuas difficultates, eſt tamen facilis, quod THOMASIO non videbatur, in cauſſis principum noſtrorum, in quibus iudicium eſt ſuperioris, an ſit locus defenſioni. Non ſunt itaque culpandae leges noſtrae, quod rem pro re nata variabilem non definierunt; nec ideo principes ad obſeruandas eas minus adſtricti ſunt, quum qui decernere poſſit, an bellum geri debeat, non deſit. [t])

VIII.

Io. Balthaſaris Wernheri argumenta examinantur.

Praeter CHRISTIANVM THOMASIVM, de quo diximus, eam regulam, quam defendimus IO. BALTHASAR WERNHERVS, vir multis nominibus laudandus, ſuis argumentis tentauit. Is ea diſſertatione, in qua ius faciendarum repreſſaliarum ſtatibus imperii aſſeruit, [u]) vſus eſt rationibus, quae ſi quid probarent, eodem, quo ad repreſſalias, iure ad omnem vim adplicari poſſent. Ait ille quidem, ciuibus et vnius reipublicae ſubditis vti illo iure non licere, ſed horum modulo metiri

[r]) GVNDLING, *c. l.* §. 8. 13. *ſq.*

[t]) Ceu ante me vidit GVNDLINGIVS *de efficientia metus cit. loc.* §. 10.

[u]) *Obſeruat. Forenſ. Part. III. Obſeru. CXV. p. 376.* ed. fol.

metiri velle principes noſtros et circumſcribere; id vero eſſe hominis in ſumma rerum Germanicarum ignorantia verſantis. Cui etſi illud damus, tantam eſſe principum Germaniae eminentiam, vt comparari ceterorum regnorum ſubditis non poſſint; tamen negari non poteſt, eos conciues eſſe et inter ſe communi quodam vinculo contineri; in quo quidem cardo negotii vertitur, quodque ad id, quod volumus, efficiendum ſufficit. Certe aliter conſtituere vnam remp. idem corpus non poſſunt, idem caput Caeſarem eundem habentes, legibus religione pacti, conſenſu omnium conditis adſtricti omnes. Hinc, vti ſuperius diximus, efficitur, non poſſe ordines in ſuis litigiis vi experiri. Quod dicit WERNHERVS, et vim infeſtam, et vindictam repreſſaliarum in omni republica, vt quaeque eſt optime conſtituta, prohibitam, obtinere in Germania, quod in ceteris regnis contumaces vi in ordinem redigi poſſent, principum autem noſtrorum eam potentiam eſſe, vt cogi inuiti nequeant; id eſt aliquid. Verum huic repugnat experientia, cum vix ſint inter noſtros ordines tam validi, qui ſinguli vniuerſorum viribus, quae coniungi contra contumacem deberent, cogi non poſſint; et id tantum ad debiliores principes pertinet, quibus contra fortiorem nihil niſi vim armorum relictam eſſe demonſtraret, ſi quidquam hoc argumento demonſtraret. Armis autem et vi non contra fortiorem debilior, ſed in huius detrimentum ille vti ſolet. Vltimum defenſionis ſuae caput WERNHERVS in refutanda ea regula: extraordinaria remedia repudiari,

vbi

vbi conſueta non deſint, ponit; quae nobis ex ſenſu verborum patere videtur, cum extraordinarium remedium illud ipſum ſit, quod ordinario ceſſante ſurrogatur. Nam ſi perinde eſt, vtro vti velimus, vtrumque ordinarium eſt. Quae enim inter ordinarium et extraordinarium remedium, a frequentiori vſu forte deſumi differentia poſſit, illa facti eſt, non iuris, de quo nobis ſermo eſt.

IX.

De vi licita in Imperio. Bellorum, quae a principe Germaniae geruntur, diuiſio.

Hactenus in quantum prohibita ciuibus Imperii vis ſit vidimus, nunc quando vti illa liceat, videamus. Cum ſit enim ipſis Imperii legibus ius foederum, pacis, exſtruendi fortalitia, praeſidii, aperturae, armandi militem, et ſequelae conceſſum, [v]) apparet, omnem vim, cuius haec inſtrumenta, in imperio prohibitam eſſe non poſſe. Nec aliter eſſe potuit. Nam cum ipſa ſuperioritate territoriali ſtatibus Imp. tutela ciuium impoſita eſt, et ſic denegari ea media non potuerunt, ſine quibus conſeruatio et defenſio vacillat. Videndum autem eſt, vt intra ſuos limites haec res coerceatur. Quare primum disquirendum eſt, quae perſonae ſint, quibuscum principi Imperii decertandum, a quo eſt belli diuiſio. Ac

v) De ſingulis cf. B. G. STRVVII *Corpus Iuris Publici Cap. XXIX. §. 50. ſequ.*

primum cum ſit, vbi principi imperii res eſſe cum ipſo Imperatore poſſit, de hoc ante omnia dicendum. Deinde frequens eſt, vt cum exteris regibus dimicemus, quale bellum hinc externum IO. NICOL. HERTIVS [x]) et poſt eum alii dixere. Tertium belli genus eſt, cum inter ipſos imperii principes decertatur, quod ſociale, quia quaſi inter ſocios geritur, interpretibus iuris publici [y]) audit; ciuile autem THOMASIO, [z]) vtrumque non ſatis ex conſuetudine linguae romanae, [a]) modo tu intuearis bellum ſociale romanorum vt Marſicum, et ciuile vt Triumuirorum. Denique vis contra ſubditos etiam adhiberi poteſt, et ſunt, qui ciuile bellum dicant principis aduerſus ciuium perduellionem, quae eſt potius tumultus et ſeditionis coercitio et oppreſſio, quam executionem vocant. De his ſingulis diſpiciamus.

X.

Imperatori contra leges Imperii ſtatuenti et vim adhibenti reſiſtere licet.

Primo de imperatore, qui duplicem in Germania perſonam ſuſtinet, alteram, qua caput eſt imperii, alteram, qua membrum, ob eas poſſeſſiones,

x) *De ſuperiorit. territor. p. 268. Opuſculor. Tom. I. vol. 2.*

y) V. HERTIVM *c. l.* STRVVIVM *Iuris publici prudentia c. XXVI. §. 25. p. 710.*

z) In *Obſeru. Hall. ad obſ. 31. Tom. VI. not. p.*

a) V. GRONOV. *pater Obſeru. L. 5. c. 5.* OVDENDORPIVS ad initium Lucani, DVCKERVS ad Florum *L. 4.*

nes, quas habet proprio et hereditario iure. Qua membrum eſt, hoc eſt pars imperii, princeps imperii, tenetur iisdem legibus, quibus reliqui, quas leges deinceps commemorabimus. Imperatoribus Auſtriacis ſaepius illud ad ordinibus imperii obiectum eſt, haud aequalia iura ceteris ſtatibus ab iis indulgeri, vnde volebant ſingularem ea de re articulum capitulationi inſerere, cuius rei hiſtoriam expoſuit vir laudatiſſimus IO. IA. MOSERVS. [b]) Sed ab Auſtriacis reſponſum [c]) eſt: *man hätte ſich des Anzugs gegen Oeſterreich nicht verſehen, dieweil ſelbiger zu Schmählerung deſſen Priuilegien Freyheiten und immunitaeten gereichte, und nicht geringe Verunglimpffung nach ſich zöge - - - Den obwohl das Hauſs Oeſterreich vermöge ſeiner habenden rechtmäſſig erworbenen und um das Römſche Reich wohlverdienten priuilegien von den ordinairen Gerichts-Ständen des Reichs eximirt:* [d]) *So hätte es doch bis dato keinem Recht und Gerechtigkeit verſaget, würde es auch inskünftig nicht thun, ſondern gegen diejenigen, welche beſchwert zu ſeyn vermeinen wolten, ſolche Austrags-Mittel finden, daſs ſich dawieder mit Fug und Billigkeit niemand würde beſchwerden können. Und weil nun dieſer Zuſatz ohne merckliche Beſchimpfung des guten Nahmens und Ruhms ſo das Hauſs Oeſter-*

b) *Anmerckungen über die Wahl-Capit. Carol. VII. Tom. II. p. 703.*

c) Apud *Eundem p. 704.*

d) De quo priuilegio cf. SPONIVS *Remarques ſur la Capitulation de Charles VII. p. 325.*

Oeſterreich, von Zeit an ſeines Urſprungs in den H. R. Reich ja in der gantzen Chriſtenheit erlangt, in einiger Wahlcapitulation, ſonderlich weil die immerwährend ſein ſolte, nicht geduldet werden könne, als verſehe man ſich etc. Cautum autem tum CAROLI VII. p. m. nouiſſima Capitulatione [e]) tum praecedentibus [f]) eſt: *Wir ſollen und wollen in Römiſchen Reich - - Recht und Gerechtigkeit verfügen, damit ſie ihren gebührlichen Gang - - - ohne Unterſchied der Perſonen, Stände, Würden und Religionen* auch in Sachen uns und unſers Hauſſes eigenes intereſſe betreffen *gewinnen und haben auch behalten und denſelben Ordnungen Freyheiten und löblichen Herkommen nach verrichtet werden möge.* Supereſt altera ſpecies, vbi Imperatori nempe dignitatis obtentu aliquid hoſtile molienti reſiſti legitime poteſt. Quod duplici accidere modo poteſt, primum cum imperator hoſtilem animum induens bellum iniuſtum ſiue toti imperio ſiue maiori parti infert; hanc ſi calamitatem iratis Diis Germania experiatur, quod liceat vim vi repellere dubitari non poteſt. Nam cum iudicem tum hi non habeant, omnisque ſuprema poteſtas abſit, cum caput imperii membrorum ſalutem curare deſinit, ſupereſt in defenſione vnicum praeſidium, nec qui ita pugnant, pugnare contra rectorem ciuitatis, ſed contra communem inimicum videntur. Deinde euenire poteſt, vt decernat aliquid, Imperator aut ſtatuat, aut

[e]) *Art. XVI. §. 1.*
[f]) *cf. Capitulat. Caroli VI. Art. XVI. §. 1.*

aut tradat executioni, quod contra ius ſit et conſtitutiones imperii, regiamque Germanorum legem, quo quidem caſu ſi quod praecipit eſt contra leges Imperii, ordines expoſitis, ea qua par eſt reuerentia, iuribus ſuis, impune non parent, et reſiſtunt vim inferenti. Eſt illud conſentaneum tum analogiae iuris, tum ipſis legum verbis, cum paſſim in capitulatione diſerte cautum, ſiquid ab Imperatore contra leges gereretur, ratum illud ne eſſet. Ita nouae leges aut legum interpretationes ſine ſtatuum conſenſu conditae declarantur *ungültig und unverbindlich;* [g]) et eo loco, [h]) vbi Imperator obſeruationem legum Imperii promittit, additur: *Ob aber dieſen und andern in dieſer Capitulation enthaltenen articuln und Puncten einiges zu wieder erlangt oder ausgehen würde, daſs ſoll alles krafftlos todt und ab ſeyn, immaſſen wir es jetzt als dann und dann als jetzt hiemit caſſiren tödten und abthun.* Si ergo talia mandata nulla ſint et viribus deſtituta, impune iis non paretur, ceu inde SAMVEL STRYKIVS colligit. [i]) Singulatim, vbi id euenire poſſit, enumerare longum foret, cum hac regula vna comprehendantur omnes: enumerauit multa ex hoc genere quem laudaui S. STRYKIVS. [k]) Hic vero eſt magna cautio adhibenda, ne tu putes laxata principibus aduerſus caeſaream poteſtatem

g) *Art. II. §. 5.* CAPIT. CAROLI VII.

h) *Art. XVI. §. 2.* CAPITVLAT. NOVISS.

i) *De via facti inter principes cap. I. §. 31. Diſſ. Hallenſ. Tom. I. pag. 360.*

k) *Citato loco §. 31-35.*

ſtatem frena eſſe; aut illis arbitrariam contra iuſſa Caeſarea facultatem adſtructam; vtique liquere debet, quod praecipit imperator, contra leges Imperii eſſe, vt liceat ei non eſſe parentem: Vt ſi quem ille principem terris ſuis exutum ſine ſtatuum conſenſu iret, quae illi poteſtas ademta eſt;[l]) vt his ipſis temporibus, quibus exteri exercitus ad auxilium Caroli VII. miſſi, annuente Caeſare, hiberna caſtra in terris principum, praeſertim autem electorum eccleſiaſticorum ſumunt. Nam cum Imperator ſe id prohibiturum promiſerit; [m]) recte ii quorum res agitur, aſſumtis aliorum auxiliis, ſecuritati ſuae proſpiciunt. Iniuſtam enim vim inferenti ex ipſius defenſionis natura recte reſiſtitur, et eſt iniuſta vis ſemper, vbi Imperator ipſe iudicata ſua executioni mandare vult, cum ex legum noſtrarum forma illa poteſtas translata in directores circulorum ſit. [n]) Fateor arduam cauſſam, et ſaepe dubium et diſputabile eſſe, agatne Imperator contra leges imperii, neque enim eſt iudex ad hanc decidendam litem conſtitutus; [o]) vnde ſi expoſitis iuſtitiae rationibus princeps iura ſua tueri nequeat, et Imperator nihilominus, quae decreuit, armis exequatur,

non

[l]) CAPIT. CAROL. VII. *Art. I. §. 4.*

[m]) CAPITVLAT. CAROLI VII. *Art. IV. §. 7.*

[n]) *Executions Ordnung de 1542.* conf. *capitul. Nouiſſ. art. III. §. 5. et 6. Wir ſollen und wollen auch die Churfürſten Fürſten Praelaten Grafen Herrn und andre Stände des Reichs - - - unter den Schein des Rechtens und der Juſtitz nicht ſelbſt vergewaltigen, ſolches auch nicht ſchaffen, noch andern zu thun verhaengen.*

[o]) v. viri Ill. MOSERI *compend. Iuris publ. L. 3. c. 9. §. 3.*

non niſi vi ac armis ea quaeſtio decidi poſſe videtur; verum illo iure quantum abuti poſſint, qui cupiditatibus ſuis magis, quam iuſtitiae ſtudent, cernunt omnes. Arbitrium vicinis principibus permittere SAM. STRYKIVS [p]) ſuadet, vbi imperatori cum omnibus ſtatibus lis intercedit. Aſt Capitulatio caeſarea, quam vrget, de caſu loquitur, vbi ſtatus Imperii ab Imperatore conueniuntur, et tunc Archidicaſteria iudices controuerſiae ſtatuit, qua propter arbitris opus non eſt. Cum autem de limitibus ſupremae poteſtatis lis oritur, minime tribunalibus Imperii eam dirimendi facultas tribui poteſt, quam ſi arrogant ſibi, optimo iure grauati ad Comitia recurrunt, cum conſtitutiones Imperii diſerte vetent, ne leges imp. fundamentales aut pacta interpretentur, quibus poteſtas Caeſaris, aut ordinum obſequium definitum eſt. Iudicio Palatini [q]) ea in re locum eſſe pauci noſtris temporibus perſuaderi ſibi patiuntur. [r])

XI.

Vis contra exteros vrgente demum neceſſitate adhiberi poteſt. In reliquis autem caſibus imperii caeſarisque conſenſus requiritur. De auxilio ex foedere praeſtando.

Venio ad bella a principe Imperii contra exteros gerenda. Illa quidem merito legitima iudicant interpretes

p) *c. I. §. 22. p. 356.*

q) Vide Viri illuſtris et eruditiſſimi H. C. SENCKENBERGII *Fabulam iudicii palatini* nuper admodum multis acceſſionibus auctam.

r) Add. ad hanc materiam SCHVZII *Collegium de ſtatu rei romanae Vol. II. Ex. X. p. 647.*

pretes iuris publici, ſi in eo ſalus imperii non periclitetur. [s]) Saepius autem contra belligerantis opinionem eiusmodi bellum Germaniam in maximum diſcrimen adducit. Itaque cum ex facto ciuis, tota ciuitas, quae illud aut non prohibuit, aut haud puniuit, ex iuris publici vniuerſalis principiis teneatur; [t]) et ſuprema poteſtas, contra exteros etiam conſtituta ſit: exiſtimandum eſt, ciues reipublicae, vindictae facultate non aduerſus ciues tantum, ſed etiam contra exteros priuatos eſſe. Obtineri autem illud in Germania ex regula debet, ob tutelam imperii Caeſari contra quoscunque commiſſam, [u]) cuius is effectus eſt, vt, quod translatum in caput, non poſſit amplius apud membra eadem ratione ſupereſſe. Eleganter eam in rem diſputat nobisque otium fecit vir doctus et in rebus Imperii adprime verſatus IVSTVS SCHVTZIVS cognomento SINOLD. [v]) Videtur itaque etiam accedere debere, vt vrgeat periculum et inſtet, quo caſu negari ius defenſionis et vim adhibendi principibus noſtris non poteſt; de quo commode leges noſtrae intelliguntur, nam vbi haberi potentioris, vt ſupremae poteſtatis, praeſidium et auxilium poteſt, propriis opus non eſt viribus. In reliquis autem Caeſaris imperiique auxilium implorandum et conſenſus petendus eſt.

[s]) V. B. G. STRVVII *Corpus Iuris Publici c. I. §. 22. c. 29. §. 51.*

[t]) V. H. GROTIVS *de Iure Belli et Pacis c. 21. §. 2. L. 2.*

[u]) *Vid. Receſſ. Imp. Spirenſ.* a. 1570. §. 19. et CAPITVL. CAROLI VII. *Art. II. §. 1.*

[v]) *De ſtatu rei romanae Vol. II. Exerc. X. not. c. p. 644. ſq.*

eſt. Quod ii ipſi, ſi ſibi conſentanei eſſe volunt, concedere debent, qui bellandi contra exteros liberrimam facultatem eſſe volunt, hactenus ne quid inde imperium detrimenti capiat; hoc enim Imperatoris eſt eorumque, quorum res agitur, videre, quorum deciſio quum praecedere debeat, conſenſum continet. Singulare eſt, vbi praeſtandum extero contra exterum auxilium ex foedere, [x]) quod licere ordinibus etiam ſine conſenſu imperii, ſi res ferat, putauerim. Primum ob conceſſum ius foederum, quae iniri ſine mutua promiſſione auxilii nulla aut poſſunt aut ſolent: deinde quia difficile eſt, vt eiusmodi bello imperium implicetur, quum inferri bellum auxilium ex pacto praeſtantibus non ſoleat. [y]) Non quidem ſine ſpecie legati Caeſarei apud PVFFENDORFFIVM: [z]) *Ius foederum cum exteris Caeſarem ordinibus quidem conceſſiſſe, cauſſae tamen cognitionem requirere, ne ex illis imperio damnum naſcatur, etiam decreto Comitiorum Wormatienſium A. 1405. cautum, vt cauſſae foederum antequam concludantur, ad Caeſarem et ſtatus Imperii referantur, et eorum conſenſus adhibeatur: id quod eo magis ordinibus incumbat, quia ipſe Imperator lege regia teneatur, nulla foedera intra vel extra Imperium niſi expreſſo conſenſu Electorum inire, vnde plus licentiae indul-*

[x]) Vid. *art. VIII. §. 2. Inſt. Pac. Capitul. Ioſephin. art. 10. Capit. Caroli VII. art. VI. §. 4. et 5.*

[y]) v. *Meditat. ad Inſtrum. Pac. ad art. 8. §. 7. p. 889.*

[z]) *Rerum Suecic. L. 18. §. 95.*

indulgere ordinibus quam Caeſari abſurdum fore. Sed iam in ipſis de pace Weſtphalica conſultationibus, quibus hae lites agitabantur, abunde reſponſum [a]) et ab aliis [b]) oſtenſum eſt, poſt huius pacis conſtitutionem, rem cuiusuis ſtatus fidei et periculo relinquendam, neque praeſumendum, aliquem officii obliuiſci aut diſcriminis, quod hoſtilia aduerſus imperium parantibus immineat. Quibus et hoc accidit, quod egregie, vti ſolet, vir illuſtris IO. IA. MASCOVIVS notauit, [c]) *difficile eſſe in republica, cuius ſtatus diuerſis ſtudiis conſiliisque feruntur, indolem et circumſtantias negotiorum publicorum ad normam legum ſemper attemperare, in foedere praeſertim, cuius vis plerumque in arcano et celeritate conſiſtit. Optandum* interim IO. NICOLAO HERTIO [d]) videbatur, *vt praeter vnum illud, quod totius imperii incolumitatem ſpectat, nullum foedus eſſet. Ipſos enim ordines ſigillatim exterorum ſocietatibus haud egere, quia minus potentioribus non raro periculoſae ſunt, apud aequales autem diffidentiam pariunt, quam metus et odium concomitantur.*

XII.

Inter principes vis adhiberi poteſt (I) contra eos, qui nos aut res noſtras vi aut armata manu inuadunt.

Inter ipſos principes quando vis adhiberi poſſit, vna regula indicari non poteſt. Omnis enim vis iuſta cum

[a]) Ceu ex PFANNERI *Hiſtor. Pacis Weſtph. p. 95. 119. etc.* notat illuſtris MASCOVIVS *de Iure foederum in S. R. I. p. 35.*

[b]) Vt ab auctore *Meditat. in Inſtr. Pac. ad Art. VIII. §. 2.* cf. MASCOVIVS *cit. loc.*

[c]) *Citato loco §. 20. p. 25.*

[d]) *De Superiorit. territor. §. 34. in Opuſc. Vol. I. To. II. p. 378.*

cum laeſionem ſequi debeat; leges imperii diſtinguunt, vtrum contra pacem publicam laedamur, an contra Weſtphalicam, an in vectigalium iure, an ex alio demum capite. Prima diſputatio erit de laeſione contra pacis publicae conſtitutionem, qua omnis violentia prohibita, [e]) permiſſum autem eſt, vim vi repellere. Licet enim: *gegen die Thäter und Friedbrecher, auch den ihren und deren Mithelſſern, und Erhaltern, ſeine Gegenwehr und Verfolgung zu thun, zu friſcher That, oder wenn er ſeine Freunde und Helffer haben mag - - es ſollen auch dieſelbe beſchaedigten, durch ihre beſchehen Gegenwehr, Verfolgung und Handlung (wo die Beſchaedigung und Friedbruch kund und offenbahr oder ſich nachmahls erſend) in kein poen gefallen nicht gefrevelt, noch alsdann ichts verwirckt haben.* [f]) In quibus verbis duo mihi praeſertim notanda videntur, primum non tantum permiſſum eſſe, vt vi vim opponamus, ſed iniuſte prouocatum etiam ſumtus belli exigere, et ſecuritati ſuae proſpicere poſſe. Id leges *die Gegenwehr* ſecernentes *von der Verfolgung*, et hanc vindictae facultatem etiam poſt aliquod temporis ſpatium concedentes innuunt; de ſumtibus autem expreſſe conſtitutum erat: *Und ob jemand zu Handhalung des Landfriedens Koſten und Schaden erlitte, ſoll ihm ſolche der Thäter*

e) *Landfriede Caroli V. de* 1548. *proem.* §. 1. *et Tit. III.* §. 2. conf. *Ord. Cam. P. 2. tit. 9.* §. 2. Idem iisdem fere verbis in *Ordinat. Pacis publ. Wormat. de a. 1521. art. 2.* cautum.

f) *Tit. III.* §. 2. *Tit. VI.* §. 3.

ter zu erſtatten ſchuldig, und in des Helffers (quanto magis in laeſi) *Willen ſtehen, alsbald mit der That zu Ablegung der Koſten zu vermögen.* [g]) . Alterum eſt, [h]) contra vim iniuſtam non eum tantum ſe ſine praeuio imperii conſenſu defendere, et res ablatas vindicare poſſe, qui vim patitur, ſed reliqua membra Imperii ad praeſtandum auxilium teneri. [i]) Cuius prouidae conſtitutionis neglectum FERDINANDVS I. Comitiis auguſtanis male obſeruatae pacis publicae cauſſam putauit: *Zum andern wiewohl in der conſtitution des Landfriedens geordnet, daſs die Benachbarten dem Beleidigten zu hülffe ziehen ſollten, ſo hätte man doch bisher auch geſehen, was ſich deshalben für Beſchwehrung und Verhinderung zugetragen:* D*arum dann Ihro Königl. Maieſt. gemeine Stände erſucht haben wolt, die berührten zween Mängel aus begegneten und noch vor Augen ſtehenden Dingen ſtattlich zu erwegen, und auf Mittel zu gedencken, dadurch zu gewiſſer und ſtandhaſter Handhabung und Erhaltung des gemeinen Friedens zu kommen.* [k]) Miror, his temporibus, quibus nouae et inauditae in Imperio bellorum cauſſae inuentae ſunt, hanc frequentatam non eſſe. Ex defenſionis violentae iuſtitia diiudicandam putarem [l]) eam quaeſtionem, quae ſaepius

[g]) *T. 9.*

[h]) Reliqua pacis publicae capita recenſet IVSTVS SCHVTZIVS *de ſtatu Rei Romanae Vol. II. Ex. IV. §. 3. 4.*

[i]) *Rec. Imp. de a. 1555. §. 31.*

[k]) Apud illuſtrem MOSERVM *Teutſches Staats-Recht L. I. c. VI. §. 13. Vol. I. p. 118.*

[l]) Vid. STRYKII *diſſ. de iure pignorandi cap. VI. n. 43. et ſeq.*

ſaepius agitata eſt, an repignorationibus liceat eum compellere, qui res noſtras primus iniuſte pignorauit. Quod affirmandum eſt, vt, ſi prima iniuſta pignoratio vi et armis, vt ſolet inter principes fieri, peracta eſt, non modo contra niti et reſiſtere, vulgo *Phand Kehrung thun*, verum etiam violenta repignoratione poſſeſſionem defendere liceat. Licere iudicatum eſt a Conſilio imperii aulico in lite inter Hildeſienſem ciuitatem et Coenobium S. Michaelis d. 21. Martii 1731. et a facultate iuridica Helmſtadienſi 1714. Poſteriorem ſententiam cum cenſura refert AVGVSTINVS A LEYSER, [m]) V. C. ea potiſſimum motus ratione, ne, ſi pignorationum etiam pignorationes tolerentur, cum quiete publica actum eſſet. Quae et ipſa ratio non magis eum premit, qui contra iniuſtam pignorationem vim adhibet, quam illum, qui primus eius violentiae initium fecit. Nam quod aduerſario noſtro, qui primus res noſtras incluſit, licebat, illud nec nobis pro iuris noſtri defenſione protinus ſubeunda denegari poteſt.

XII.

(II.) *In laeſione contra pacis Weſtphalicae tabulas facta vim adhibere tum ad propriam, tum ad aliorum defenſionem licet.*

Praeter illum fractae pacis publicae caſum vim adhibere licet, laeſione contra Pacis Weſtphalicae tabulas facta. Huius doctrinae ſedes eſt in INSTRVMENTO

PACIS

[m]) *Meditat. ad Dig. CXI. ſ. 6. 7. Vol. II. p. 474. ſq.*

PACIS OSNABRVGENSIS *artic. XVII.* §. *4. 5. 6. 7.* et MONASTERIENSIS §. *115. 116.* Nam cum eo loco indicatum ſit, quo modo huius pacis conditiones executioni tradendae ſint, modus certus praeſcriptus eſt, in omni de religione rebusque his tabulis definitis lite obſeruandus. Itaque primum ſtatuitur, [n]) *vt ſi quis huius pacis executioni repugnauerit, fractae pacis publicae poenam ipſo iure et facto incurrat.* In iis autem cauſſis, quae ſequentibus temporibus exoriri poterant, duplicem quaſi gradum procedendi paciſcentes conſtituerunt. [o]) *Primum laeſus laedentem inprimis quidem a via facti dehortetur, cauſſa ipſa vel amicabili compoſitioni vel iuris diſceptationi ſubmiſſa.* Intellexiſſe autem per illam iuris diſceptationem videntur implorationem Caeſaris et Imperii et deciſionem, exſecutionemque deniqe per directores Circulorum faciendam. [p]) Breuius autem his remediis tempus praeſcriptum eſt. [q]) *Nam ſi neutro horum modorum intra ſpatium trium annorum terminetur controuerſia, arma ad repellendam iniuriam ſumere licet.* Quod non tantum ad laeſum pertinet; ſed *tenentur* ex tabulis *omnes et ſinguli huius transactionis conſortes iunctis cum parte laeſa conſiliis et viribus eius cauſſam defendere, quod nec amicitiae nec iuris via locum inuenerit.* Saepius iis remediis aſſerta eſt religionis libertas in Imperio et ſuperſtructa

[n]) *Inſtrum. Pacis Oſnabr. Art. XVII.* §. *4.*

[o]) §. *5.*

[p]) Egregia ſunt, quae hanc in rem cauet *Capitulatio Caroli VII. art. 1.* §. *11.*

[q]) §. *6.*

ſtructa his principiis grauis et docta et acuta epiſtola nomine Corporis euangelici ad Imperatorem ſcripta a. d. 16. Nov. 1716. cum Auguſtiſſimi Britanniarum et Boruſſiae reges, tot grauaminibus religionis moti, talionis iure contra ſubditos ſuos romanae eccleſiae addictos vterentur; quae quo quis eſt libertatis germanicae amantior, eo maiori ſtudio legenda ei ediſcendaque eſt. [r])

XIV.

(III.) *Aduerſus ea, quae contra capitulat. nou. Art. VIII. fiunt, vi vti poſſumus.*

Singularis eſt legum noſtrarum de vectigalibus conſtitutio. Antiquitus omnia in Germania vectigalia ad ſolum Imperatorem ſpectabant, [ſ]) quae deinde variis conceſſionibus ad ſtatus peruenerunt. [t]) Citeriori aetate ii, quibus ſalus patriae concredita eſt, ita reſpexerunt, quan-

[r]) V. FABRI *Staats-Cantzley-To. XXXVII. p. 573.* De hac epiſtola GOTTL. SA. TREVERVS in elegantiſſima *de corpore euangelico* diſſertatione *Cap. 1. §. 13. p. 28.* ita ſcribit: *non ab vno calamo eam profluxiſſe, vel ex ſtili diuerſitate, vel et argumentorum allatorum indole varia, et ea connectendi modo coniicimus, et vt fama fert a quatuor ſtatuum proteſtantium miniſtris profecta eſt --- Egregia profecto eſt, ſolidiſſimi ingenii robur prae ſe fert vbiuis, pondera omnia ſagaciſſime perſpecta accumulat, ſtilo limpidiſſimo et fluido, viuaci tamen exornata eſt, et rem omnem euidenti demonſtratione euincit.* Conferri ad hunc §. debet Eiusdem clariſſimi viri *diſquiſitio de optima ratione componendi diſſidia relig. in German. Helmſt. 1724.*

[ſ]) *Spec. Sueu. tit. 12.* DE HOPFFGARTEN *de Iure Vectigalium in S. R. I. Sect. I. §. 10.* IO. SRAVCHIVS *de regali vectigalium iure.*

[t]) *Tit. IX. §. 2.*

quantum interſit, ne Germania in tot prouincias et territoria diuiſa, oneraretur ſuperfluis vectigalibus, vt capitulatione, nemo, niſi cui Caeſar permiſit et perpenſis ponderatisque ſtatuum vicinorum et eorum, quorum intereſt, monitis, conſenſerunt omnes Electores, aut noua imponere aut augere impoſita vectigalia poſſit. Deinde noua vectigalia imperantibus varia poenae ſtatutae ſunt. [u]) Atque adeo noſtris moribus licet omnem conatum imperandi extorquendique illicita vectigalia, ſi aliter non poſſit, vi atque armis reprimere. Clara ſunt ea de re Capitulationis [v]) verba: *Und ſolle darneben einem jeden Churfürſten, Fürſten und Stand die Freye Reichs-Ritterſchafft mit begriffen, erlaubt ſeyn, ſich und die Seinige ſolcher Beſchwerden ſelbſt, ſo gut er kann, zu entledigen.* Quae verba ad omnia pertinere putamus, quae contra eum capitulationis articulum fiant, qui eſt de vectigalium in Imperio iure, cui illa ſanctio ſubiecta eſt. Eſt autem ita a temporibus inde FERDINANDI III. conſtitutum; [x]) niſi quod eo tempore ius libertatem commerciorum aduerſus iniuſta vectigalia propria auctoritate tuendi, ad Electores ſolum pertineret. Quod cum ceteri principes et Imperii ordines ſibi etiam vindicarent: [y]) factum eſt, vt

[u]) vid. HOPFGARTEN *c. l.* §. *28. 29.*

[v]) *Art. VIII.* §. *16.* iisdem verbis repetita §. *20.*

[x]) cf. *Capitulat. Ferdinandi III. art. 20.*

[y]) *In monitis communibus ad Capitulat. de 1658.* apud Auctorem *der Grundfeſte P. III. c. 3. p. 230.*

vt in Capitulatione CAROLI VI. [z]) cum omnibus communicaretur. [a])

XV.

(IV.) Vis adhiberi poteſt, cum metuimus, ne antequam nobis auctoritas iudicis ſubuenire poſſit, aut nobis aut rebus noſtris irreparabile damnum inferatur.

Expoſui quas laeſiones vi repellere ex ipſa legum noſtrarum diſpoſitione expreſſa liceat; ſupereſt, vt indicetur, quando id *ex mente legum* permiſſum ſit. Huius rei generalis regula eſt, vim adhiberi poſſe, vbi iudicis auxilium haberi non poteſt. [b]) Duplici autem ratione illud ſolet euenire, primum cum antequam poſſit ſubuenire iudex, aut nobis aut rebus noſtris irreparabile damnum alter illaturus eſt; deinde cum iudex officium ſuum, ſiue quod nolit praeſtare, ſiue quod non poſſit, denegat. Prius in vſu eſt quotidiano, cuius cauſſa tam grauis eſt, vt nec is, qui petitur, vim omittere, [c]) nec princeps, cui eſt ſubditorum ſuorum tutela impoſita, eorum defenſionem violentis mediis ſuſcipiendam negligere poſſit. Ita ſi forte princeps ſubditis ſuis contra leges pactaque, commerciorum libertatem ſtabilientia, prohibeat, ne frumentum, quo abundant, vicinis, qui eo vel

[z]) *Art. 8.*

[a]) *v. V. Cl.* MOSERI *obſeru. ad Capit. nouiſſ. Tom. II. p. 315.*

[b]) cf. diſſert. praeſide laudatiſſimo viro CHR. G. BVDERO defenſa, *de violenta defenſione in ſtatu ciuili §. 31. 32.*

[c]) vid. *Citata diſſert. §. 17. not.*

vel maxime egebant, venderent; non is quidem ob inſtans neceſſitatis periculum iuris diſceptatione, ſed repreſſaliarum iuſta talione, vt iniuſtum mandatum tollat, adigendus eſt. Adgnouerunt ſaepius hanc neceſſitatis rationem leges noſtrae, vt in decernendo bello; nam cum eius rei conſultatio ad omnes ordines pertineat, ſufficit tamen, cum maiorem celeritatem ſalus publica ſuadet, conſenſus Electorum. [d]) Ex quo principio etiam hoc eſt: vi ac armis futurae ſecuritati, ſine Imperii conſenſu, proſpicere licere, cum, ne cuiuis ad aures perueniat, quod paramus, vt celerrime peragatur, requiritur. Nam et tum in mora periculum eſt, et ipſa defenſio, niſi ita ſtatuamus, vacillat. Innuunt autem illud interpretes [e]) qui defenſionem non contra eam tantum vim adhibere permittunt, quae eſt in actu, ſed illam etiam, quae in potentia eſt. In omnibus autem de his rebus conſultationibus videndum eſt, an, quod metuimus, damnum irreparabile ſit? nam ob leue incommodum turbare velle Germaniam, inciuile eſt. Fateor tamen in cauſſis grauioribus, vt quae inter principes Imperii geruntur, ſaepius metum haud irreparabilis damni non inanem adeſſe, cum occupatio prouinciarum coniuncta cum caede hominum deuaſtationeque agrorum eſſe ſoleat.

XVI.

[d]) *Capitulat. Caroli VII. Art. VI. §. 2.*

[e]) GAIL. *de Pace publ. c. 17. n. 2. 3.*

XVI.

(*V.*) *Cum denegatur iuſtitia, aut, quod iudicatum eſt, exſecutioni non traditur, vim adhibere licet.*

Huic caſui, vbi auxilium iudicis ob breuitatem temporis aut alias cauſſas haberi non poterat, ſimilis fere ille eſt, cum iudex auxilium, quod deſiderabamus, non praeſtat. Sed hoc paullo eſt definitu difficilius, quare, vt his tricis nos expediamus, diſtinguendum eſt inter eum iudicem, qui perperam iudicat, illumque, qui nihil omnino definit, aut definita haud dat executioni, quibus ex cauſſis id fiat. Nunquam in priori genere violentiae locum eſſe putamus. Sunt enim ipſis legibus varia remedia contra iudicum prauitatem aut imbecillitatem ſuppeditata, in quibus ſubſiſtendum eſt, niſi in infinitum progredi velimus et efficere, vt omnia omnino iudicia ſententiaeque vi et effectu careant. Nam ſi nemo parere ſententiae tenetur, quam iniuſtam iudicat, qua tandem deciſione lites finientur? Nunquam ſane victo in hoc forenſi certamine querendi occaſio aut certe animus deerit, cum quiſque, quod petit, iuſtum; quod ſibi incommodum, iniuſtum putare ſoleat. Vnde, ſi repellitur, illud duritiei iudicis, aut aduerſarii potentiae adſcribit, ſi vincitur, non ſuam malitiam puniri, ſed aduerſarii aſtutiae id deberi credit. Quare aut tollenda omnino iudicia ſunt, aut ſumendum, iuſtitiam efficaciamque ſententiarum deciſionumque non a litigantium opinione, ſed ab eorum iudicio pendere, quibus eſt iu-

ris

ris dicundi prouincia commiſſa, etiamſi id nonnunquam in oppreſſionem innocentis cadere poſſit. Alter caſus eſt, cum, quamuis iudex ſit, tamen ius non dicatur, aut mandata exſecutioni non dentur. Quod quibus ex cauſis fiat, cum legitime nunquam intermittatur vel impediatur, ſupereſt in propriis viribus vnicum praeſidium, redeuntque res in eum ſtatum, ac ſi nullus iudex eſſet, quo vim adhiberi poſſe nemo dubitat. Et ſane ei, qui auxilium poſcit, perinde, ſiue omnino nullus iudex ſit, ſiue opem ferre illi nolit, vel contra leges imperii impediatur. Hunc iuris perſequendi modum non omnino nouum aut inauditum in Imperio eſſe, oſtendit illud, quod ſupra allegaui de laeſionibus contra pacem Weſtphalicam, exemplum, quibus niſi intra trium annorum ſpatium medela paretur, vim adhibere licebat. Cauendum autem eſt, ne protractam dicamus iuſtitiam, vbi res in tribunalibus Imperii geruntur conuenienter accepto procedendi modo, ſatis lento quidem, ſed a Caeſare et imperii ſtatibus probato, quo, nunquam vim excuſari, oſtenſum eſt ſuperiori loco. Tum cum deciſa exſecutioni non mandantur, quod accidit praeſertim, vbi res eſt cum potente principe, minante, ſe non aequo animo ſententiae exſecutionem laturum eſſe; aut cum inimicitia aut inuidia eorum, quibus exſecutio incumbit, impedit, quo minus officio ſuo ſatisfaciant; idem eſt, ac ſi ius dictum non ſit. Non praetereunda hoc loco videtur ſalutaris Pacis Weſtphalicae

licae [f]) ſanctio, quae eorum, quae in Imperii iudiciis definita ſunt, executionem non vi armisue quaerere permittit, ſed executioni, quam Leges imperii de exſequendis ſententiis conſtituunt, vnice, ſine diſcrimine ſtatuum, locum relinquit. Itaque haec primum ſecundum normam Legum Imperii in iudiciis imperii requirenda, deinde ſi nec ſic, nec ſumto ad Imperatorem et Imperium, pro executione promouenda eaque communibus omnium circulorum Imperii viribus facienda, [g]) refugio quidquam efficitur, vim adhibere licet. Promiſit autem Imperator capitulatione: [h]) *die execution nicht allein nicht zu hemmen, ſondern einen jeden zu ſeinen erſtrittenen Rechten zu verhelffen, auch res iudicatas imperii gegen alle auswärtige Gewalt kräfftiglich zu ſchützen*, et ſi fruſtra etiam hoc ſit, ſupereſt in propriis viribus vnicum remedium. [i])

XVII.

Subditos reſiſtentes in cauſſis liquidis recte coercet vi princeps.

De Principe contra ſubditos via facti procedente, celebris eſt in capitulatione Caeſarea ex ipſa ſuperioritatis territorialis ratione deducta conſtitutio: *immaſſen es denn auch*

[f]) *Inſtr. Pac. Weſt. art. 17. §. 2.*

[g]) vid. *Declaratio pacis publ. de a. 1512. tit. 1. R. I. de a. 1654. §. 190. Ord. Cam. tit. 49. §. 7. Inſt. Pac. art. XVI. §. 2.*

[h]) *Art. XVII. §. 1. 16.*

[i]) Conſentit N. H. GVNDLINGIVS *de efficientia metus c. II. §. 39.*

auch Churfürſten, Fürſten und Ständen (die unmittelbahre Freye Reichs - Ritterſchafft mit begriffen) zugelaſſen und erlaubet ſeyn ſoll, ſich nach der Verordnung der Reichs-Geſetze bey ihren hergebrachten und habenden Landesfürſtlichen und Herrlichen iuribus ſelbſten und mit aſſiſtenz anderer Stände wieder ihre Unterthanen zu manuteniren, und ſie zum Gehorſam zu bringen --- da aber die Streitigkeiten vor den Richter befangen wären, ſollen ſolche aufs ſchleunigſte ausgeführet und entſchieden werden. [k]) Ex his itaque verbis quidam colligunt, licere principibus, cum eſt inter eos ſubditosque controuerſia, ſine praeuia iudiciali diſceptatione, quod iis aequum videtur, ſtatuere, ſubditis autem, eos in ius vocare prohibitum eſſe. Quae ſententia, vt vtar verbis Auguſtiſſimi Regis Boruſſiae ad Ducem Megapolitanum: *als ob ſie, (der Herzog) in denen Dingen, worin ſie mit ihren Adel ſtreitig ſind, nach ihren eigenen Gefallen verfahren könten, iſt irrig, und das contrarium davon aus denen Reichs fundamental Geſetzen, aus der obſervance und aus unzehlbahren Exempeln in Reich erwieſen worden.* [l]) Primum illa ipſa verba capitulationis volunt, vt tota haec res *nach der Verordnung der Reichs conſtitutionen geſchehe*, vnde colligitur, nouam legem condendi animum coſtituentes non habuiſſe; deinde requirunt, vt ipſa iura *hergebracht ſeyn und er ſie habe.* Sumunt itaque, vt ſint liquidae; quod ſi negant non ſine magna

[k]) vide totum *Articul XV.* praeſertim §. 8. *Art. 19.* §. 6.

[l]) *Electa Iuris Publici T. XVIII. p. 328.*

magna iuſtitiae veriſimilitudine ſubditi, res redit ad ordinarium iudicem. Quod clariſſime ſequentia verba indicant, quibus conſtituitur: *da aber die Streitigkeiten vor dem Richter beſangen wären, ſollen ſolche aufs ſchleunigſte ausgeführet und entſchieden werden:* nam ſi nunquam licet principem in ius vocare, quomodo poterunt *die Streitigkeiten vor den Richter beſangen ſeyn?* Idem colligitur ex alio huius articuli loco, quo [m]) conſtituitur, ne ſubditi, principem ob cauſſam ad regiminis curam pertinentem in ius vocantes, *leichtlich gehöret werden*, ex quo nimirum illud eſt, audiendos ob grauiores cauſſas illos eſſe. His igitur permoti rationibus alii vim huius conſtitutionis in eo poſuere, vt principi liceat ſubditos deiicere poſſeſſione, hi autem tantum petitorio iudicio experiri poſſint, quam ſententiam iuuari legibus putabant, quibus eſt conſtitutum: [n]) *daſs die Untertkanen inmittelſt zu ſchuldigen Gehorſam gegen ihre Obrigkeit anzuhalten.* Sed huic repugnant verba capitulationis quae defenſionis violentae licentiam concedunt *zu Manutenirung habender Rechte*: ponuntque itaque, vt ſint principes, in eorum iurium, de quorum defenſione quaeritur, poſſeſſione. Itaque ſi et hoc negamus principibus, quid ſit quaeris, quod iis ſit hac lege conceſſum? Quod duobus abſolui videtur capitibus, primum vt coercere vi poeniſque rebelles ſubditos poſſint; deinde vt meminerint, tribunalia Imperii, cum lis inter prin-

m) §. 4.

n) *Art. XIX. §. 7. Capit. Car. VII.*

cipem ſubditumque geritur, eam eſſe pro ſumma poteſtate militantem praeſumtionem, quae non querelis, ſed argumentis demum ſuſpecta redditur. Sed totam hanc cauſſam ita inſtruxit °) optimus parens meus, DAVID GEORGIVS STRVBE, qui multis operum ſuorum locis huius doctrinae vindicem ex Legibus, Imperii obſeruantia, rebus a ſummis tribunalibus iudicatis ac teſtimoniis tum principum tum doctorum egit, vt nos ſuperſedere vlteriore eius disquiſitione poſſimus.

XVIII.

Ius belli, quod ordinibus his caſibus competit, niſi qua legibus imperii reſtrictum, pleniſſimum eſt, et impediri ab Imperatore omnino non poteſt. De captiuitate Bellislii quaedam.

In his itaque caſibus principibus Imperii omnia ea licent, quae iure Gentium belligerantibus relicta ſunt, quantum haec expreſſis legum noſtrarum verbis ademta non ſunt. Imperator autem hanc facultatem neque adimere neque impedire vlla ratione poteſt. Sita eſt huius rei ratio in forma Germaniae, cuius principes arma, non vt locumtenentes Imperatoris, ſumunt, aut praeſides prouinciarum, ſed vi tutelae, quae iis in ſubditos commiſſa eſt, et ſuperioritatis territorialis, cuius effectum ſe omnino non impediturum eſſe Imperator iurauit.

°) *Unterricht von Regierung und Juſtitz-Sachen S. III. §. 12. 13. 14. Obſeruat. Iuris. et Hiſtor. German. Obſ. 4. §. 9. Vindiciae Iuris venandi nobilit. Germ. Cap. II. §. XII. ſq.*

uit. [p]) Habet haec obſeruatio frequentem vſum, vt in iure foederum, pacis, legationum, conducendi militis, et quae ſunt ſimilia; nobis autem, nouitate rei permotis, placet captiuitate illam Beliisliana illuſtrare. Scilicet cum nuper CAROLVS FOVCQVET BELLISLE, Dux et Mareſchallus Galliae, ac ad Imperatorem legatus, terras Brunſuico-Luneburgicas nullis ſecuritatis literis publicis acceptis tranſiens, detinebatur, quaeſitum eſt, iure illud, an iniuria factum ſit? Nobis videtur, quod omnibus gentibus licet, legatum hoſtis captiuum ducere, illud etiam noſtris principibus liberum eſſe, vtpote quibus gentium iura vi ſuperioritatis territorialis competunt, niſi legibus Imperii reſtricta eſſe probentur, qualis reſtrictio hic male ponitur. In Bellislio enim huius facultatis effectum impedire non poterat, quod ab Imperatore acceptus erat, vt exiſtimabant quidam, cum minime verum videatur et quod obmouent, eadem ratione qua ſanctus in Burgundia v. c. eſt Legatus ad regem Galliae miſſus, inuiolabilem in terris principum legatum ab Imperatore acceptum eſſe. [q]) Quam male enim

[p]) *Capitulat.* CAROLI VII. *Art. I. §. 2. et 8. Art. II. §. 3. Art. III. §. 4.*

[q]) *Ainſi comme l'Empereur a dans tous le reſte de l'Empire la même autorité, la même puiſſance que dans le lieu ou il tient ſa Cour, il s'enſuit, que l'Ambaſſadeur, qui eſt accredité auprès de lui, doit iouir dans tout l'Empire (diſons, ſi vous voulez dans toutes les parties de l'Empire ou l'Empereur eſt reconnu) de la même inviolabilité, dont il jouit dans la réſidence Impériale, de même qu'un Ambaſſadeur du Roi d'Angleterre en France eſt ſous la protection du droit des Gens dans tout le Royaume de la même maniere qu'il l'eſt à Verſailles.*

enim procedat, quae ab aliis regnis ad Imperium noſtrum deducta eſt, argumentandi ratio, ex diuerſitate ſtatus Imperii publici, cuius membra in territoriis ſuis iure Imperii fruuntur, facile preſpicitur. Imperatorem immunitates, quae in iurium praecipuorum, ordinibus imperii competentium, violationem vergunt, legatis indulgere non poſſe, vel ex ipſa capitulatione Caeſarea recte colligitur, qua promittit: *auch ſollen und wollen wir in übrigen die Vorſehung thun, daſs denen Churfürſten ſelbſt ihre von alters hergebrachte und ſonſt gebührende Würde und Praerogatiuen erhalten, und dawieder von fremden Regenten und Republiquen Geſandten oder andern an unſern Kayſerl. oder Königl. Hoff, oder wo es ſich ſonſt begeben könte, nichts nachtheiliges oder neuerliches vorgenommen oder geſtattet werde.* [r]) Si ergo Imperator nihil eorum, quae dignitatem et iura Principum Imperii praecipua imminuunt, legatis exterorum principum concedere poteſt, dubitari profecto nequit, quod nec talem imunitatem iis tribuere queat, quae ad imminuendum et labefactandum ius belli, ſtatibus Imperii competens, pertinet. Sed vt totam rem a ſuis principiis petamus, omnis, ſi quid iudico, aut rei, aut hominis, aut legati etiam ſanctitas vel ex iure eſt ſiue lege, vel ex pacto conſenſione inito. [s]) Lege ſancti ab omni laeſione primum omnes

ſailles. v. Lettre d'un Gentilhomme à un de ſes Amis ſur la detention de Mr. le Marechal de Belle-Isle dans les Etats d'Hanuover p. 6.

r) CAPITVL. CAROLI VII. *art. 3. §. 22.*

s) V. IO. IA. MVLLERI *Hiſtoriſch - Iuriſtiſche Electa Tom. IIII.*

omnes ſunt qui nos non laedunt, deinde etiam ex ciuilium conſtitutionum formula aliqui, ob ſingulares rationes. Sed in Germania legatum exteri principis, qui ſtatum Imperii bello aggreditur, in huius ditione ſaluum eſſe, vbi ab Imperatore eſt receptus, ex legibus noſtris non conſtat. Et aſſequi ſane haud poſſumus, quomodo cum officio Caeſaris, cui membrorum Imperii tuitio incumbit, conſiſtere queat, ſi praeterea, quod denegat iis opem, etiam ab iuſta eorum vindicta eorum hoſtes liberare poſſet. Quod de reuerentia Caeſari debita dicunt ea detentione laeſa, vereor, ne ſi explicetur, euaneſcat, aut, qui eam praetendunt, verbis ludere videantur. Nam ſi reuerentia in cura conſiſtit, ne offendamus facile, quem amamus, vt eſt apud philoſophos, [t]) et ſi eum demum amamus, qui nos diligit, quomodo poterimus aut eum, qui nos diligit, offendere, cum hoſtem noſtrum punimus, vel inimica eius conſilia auertere ſtudemus; aut amare eum, qui ſe hinc offenſum queritur. Itaque Imperator ſi dignus reuerentia eſſe vult, pater patriae eſſe debet, hoc eſt, tutor et communis ciuium defenſor, principumque Imperii amantiſſimus; quod ſi eſt, non deſiderabit, vt ſancti legati exteri habeantur, hoſtilia contra ordines Imperii molientes, quin probabit, illos detineri in ditionibus principum, quibus exitium minantur. Alter, vti dixi, ſanctitatis fons eſt conſenſio, qua et legati ſancti ſunt. Sed haec cauſſa pertinet

IIII. cap. II. quod eſt *von Inuiolabilitaet der Geſandten p. 80. ſeq.*

[t]) V. ISR. GOTTL. CANZII *V. C. Diſcipl. moral. §. 576.*

pertinet ad eos tantum, qui conſenſerunt, (u) non ad alios, quorum intuitu legatus non eſt, vnde oratores nunquam, niſi accepta fide, mitti ſolent.

XVIIII.

Breuis totius diſſertationis delineatio: De repreſſaliis.

HIS itaque capitibus abſoluitur ius, quod principes Imperii habent, ſe ſuaque propria vi armisque tuendi. Placet, quae de eo diſputata ſunt, colligere, contractaque iterum legentium oculis proponere. Primum igitur tum ex natura rerumpublicarum in vniuerſum, tum ex Germaniae forma generalem regulam deduximus, omnem in Imperio vim prohibitam eſſe. Haec patitur exceptiones, quarum aliae ſunt ex natura rei, aliae ex ſingularibus conſtitutionibus legum noſtrarum. Ex natura rei eſt, vim adhiberi poſſe, cum iudicis aut ſupremae poteſtatis auxilium haberi non poteſt, ſiue quod nequeat illud praeſtare, ſiue quod nolit: ex conſtitutionibus Legum eſſe diximus, quod laeſionibus contra pacem publicam et Weſtphalicam atque contra ea, quae capitulationibus Caeſareis de vectigalibus cauta ſunt, vi occurrere ſubditosque in rebus liquidis coercere et compellere liceat. Per ſe patet, haec omnia pertinere

u) *Ea vero lex, de vi legatis non inferenda, intelligenda eſt, cum obligare, ad quem miſſa eſt legatio, atque ita demum ſi admiſit, quaſi ſcilicet ab eo tempore tacita pactio interceſſerit - - Non pertinet ergo haec lex ad eos, per quorum fines non accepta venia tranſeunt legati. Nam ſiquidem ad hoſtes eorum eunt, aut ab hoſtibus veniunt, aut alioqui hoſtilia moliuntur, interfici etiam poterunt.* H. GROTIVS *de I. B. et P. L. II. c. XVIII. §. 5.*

pertinere ad omnes cogendi modos, iuris noſtri tuendi vel obtinendi cauſſa adhibitos, et ſic etiam ad repreſſalias. Quin hae, vt probe notauit GOTTL. GERH. TITIVS, [v]) facilius permittendae ſunt, ac bella, quae vt plurimum incendium excitant, toti Imperio vel ſaltem vicinis admodum noxium, et damna difficulter reparanda inferunt. Requiritur autem, vt liquidum ſit ius hoc remedio vtentis, et res nullam moram ferat. Egregie Corpus Euangelicorum ſic tuetur vſum repreſſaliarum: [x]) *Gewiſs und unſtreitig iſt es, daſs auch bey den geſcheideſten und mit den vortreflichſten Geſetzen verſehen geweſenen Völckern, wo nicht der eigentliche Nahme der Repreſſalien bekandt, dennoch bey den allgemeinen Verfall derer Menſchen, die weder Gott noch Menſchen Geſetze ſich allemahl wollen regieren laſſen, jederzeit etwas dergleichen eingeführet, und erlaubet geweſen, wodurch in gewiſſen entweder gar geſchwinden oder höchſtgefährlichen cum iactura et damno irreparabili begleiteten oder ſonſt ein gewaltiges Praeiudicium nach ſich ziehenden Fällen, ohne daſs dadurch wieder die Majeſtät und Autoritaet der Herrſchafften, oder der Geſetze gefrevelt worden, einem jeden ſich bey dem Seinigen zu ſchützen, oder ein angedrohetes Ubel abzukehren vergönnet worden. Die Römiſche Bürgerliche Geſetze ſowohl, als die Canoniſche Rechte, legen davon gnugſahme Spuhren und überzeugende Proben vor Augen.* Et porro: [y]) *Was von verbothenen Arreſten und That-Handlung*

[v]) *Specim. I. P. L. 3. c. 8. §. 49.*

[x]) Apud FABRVM *Staats-Canzl. T. XXXVII. p. 584.* [y]) *p. 591.*

lung in andern Reichs-Satzungen, in ſpecie in dem Reichs-Abſchied d. ao. 1570. gemiſsbilliget worden, ſolches wird in den Reichs-Abſchied de ao. 1594. der wahren Eigenſchafft nach erkläret, und der Miſsbrauch von den rechten Gebrauch unterſchieden. Wenigſtens iſt der kurtz vorher angezogene Reichs-Abſchied de Ao. 1521. ein klarer hell in die Augen leuchtender Beweiſs, daſs es regnante glorioſiſſimo Imperatore Carolo V. noch nicht aufgekommen, daſs man Chur-Fürſten und Stände, wann an Ihnen, oder denjenigen, ſo ihnen zu verſprechen gebühret, der Land-Friede gebrochen worden, an die Kayſerl. und des Reichs-Gerichte dergeſtalt verweiſen wollen, daſs ſie immittelſt ſtill ſitzend und gleichſahm mit gebundenen Händen, ihre Beſchädigere oder deren zugewandte und Mithelffere ungehindert ſchalten und walten laſſen, und ſie nur mit einen Finger nicht anrühren ſollen. Probatur etiam eodem loco [z]) exemplis, easdem tam a Catholicis, quam ab Euangelicis eſſe adhibitas, ad quae et ao. 1737. Elector Bauariae, prohibente Caeſare, ne repreſſaliis aduerſus ciuitatem Auguſtam [a]) Vindelicorum vteretur, his verbis prouocauit: *Die ältern und neuere Exempel könten mehrere aufgeruſen werden, wie andere des Reichs Chur- und Fürſten gegen dergleichen Mitſtände, wenn ſie ſich an ihren Reſpect, Hochachtung und Rechten, auſſer Beobachtung und angegriffen befunden, mannigfaltig fürgegangen ſeyn, dergleichen Verfahren in ſolchen Fällen begegnet und ſelbſten geahndet haben.* Nec tamen diffitendum, ſatis frequentem fuiſſe huius iuris in Germania abuſum, qui merito mandatis Caeſareis coercetur.

[z]) *p. 608.* [a]) Apud FABRVM *Staats-Canzley Part. LXX. p. 554.*

VIRI

ILLVSTRIS ATQVE AMPLISSIMI

DAVIDIS GEORGII STRVBEN,

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET ELECTORIS BRVNSVICENSIS A CONSILIIS IVSTITIAE SANCTIORIBVS

FILIO NATV MAXIMO

INGENII MORVM ET ERVDITIONIS LAVDE EXCELLENTI

DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO

S. P. D.

GEORGIVS LVDOVICVS BOEHMER.

Si quae grata fuerat voluptatis ex Suauiſſimorum ſelecto numero Commilitonum exercitationibus diſputatoriis, quibus nuper breui ſcriptione praeludebam, praeſenſio, multo nunc iucundior eſt voluptatis ſenſus, cum Tu quoque, DOCTISSIME STRVBEN, non minus doctorum commilitonum exemplo, quam ſingulari, quae Te ad ardua quaeuis fert, ingenii praeſtantia ductus in publicum prodis, quod Tuae diligentiae Tuisque vigiliis debetur, profectuum ſpecimen, expectationi omnium cumulate ſatisfacturus. Quod enim non a grauitate modo et dignitate commendabile,

ſed

ſed et temporum, quibus inter bellorum fluctus non minus de belli iuribus quaerere par eſt, rationibus adcommodatum argumentum elegiſti, eo literarum, quas Tibi Tuis ſtudiis paraſti, praeſidio eaque publici iuris ſcientia exornaſti, vt, cum me conflictus ducem rogares, dubitarem, an, quo non egere videbaris, ductoris partes ſuſciperem, niſi me Tibi id ex inſtituti ratione debere exiſtimaſſem. Quod ergo Tuum eſt, Tibi gratulor ingenii ſpecimen, doctum profecto et elegans, idque eo magis gratulor, quo maiorem laudem mereri videntur, qui citius egregia induſtria ad ardua adſpirant. Contigit Tibi felici, ILLVSTRI PARENTE OMNIQVE ERVDITIONIS ET MERITORVM LAVDE FLORENTISSIMO natum, educatum, et ad optima quaelibet ſtudia et altiores literas ductum eſſe, quibus ingenium Tuum probe ſubactum et excultum ita imbuendum dediſti, ILLVSTRI PARENTI TVO de eo non poſſim non vehementer etiam atque etiam gratulari. Quod autem ex his diligentiae Tuae et Studiorum primitiis capio maioris doctrinae, et quae eam ſequuntur, praemiorum et honorum augurium, ita de eo certiſſimus, non niſi Te per paterna veſtigia ad iurisprudentiae laudem progredientem votis ardentiſſimis perſequor. Vale. Dabam in Georgia Auguſta a. d. VI. Calend. April. CIↃIↃCCXXXXV.

VA1 1520116